



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres**

**Tylkowski, Wojciech**

**Oliva, 1686**

V. Beatam dicit Virginem Aminadab; quia Virgo est major Princeps.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

in cervicibus inimicorum tuorum. 3. Spolia opulenta. *Catulus Leonis juda, ad prædam Fili mi-ascendisti.* 4. Primatus inter Fratres. *Te adorabunt Filij Matris tuæ.* 5. Throni Regij stabilitas. *Non auferetur sceptrum de juda, & Dux de femore ejus.* 6. Opulentia glebæ divitis. *Lavabit in vino stolam suam.* Judam quando Mater peperit Gen: 29. dixit. *Modo confitebor Domino, & ob hoc vocavit illum judam.* Impleta sunt hæc omnia feliciter in Virgine. Vita ejus cunctas illustravit Ecclesias. Nativitas ejus gaudium universo attulit mundo. *Hesich: orat: 2. de Deip: Maria, Gloria luti nostri, quæ Adamum pudore, Evam comminatione liberavit. Hymn: Græc: Gloria indubitata Fidelium.* Judas ostendit Fratribus Iosephum Fratrem, nam oratione ejus is motus non se poterat ultra cohibere, unde præcepit ut egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutæ. *Ecclesia verò Virgini cantat.* Fructum ventris tui nobis ostende. Et certè omnes Divinitatis monstratores superavit; quia de æterna Sapientia Salomon scripsit Sap. 7. *Speculum sine macula est Majestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Quæ verba passim tribuuntur S. Virgini. Ut enim Filius Dei speculum est Patris, quia ejus perfectiones revelat, ita certo modo Filij sui Filij Dei splendores Virgo revelat. In Filio nulla macula. De Virgine dicitur Cant: 4. *Tota pulchra es, & macula non est in te.* Lavabat Judas in vino stolam suam; lavat Virgo nostram in vino illo, quod Virgines germinat.

### 5. Beatam dicit Virginem Aminadab.

Quia Virgo est major Princeps.

In nomine suo Beatam prædicat Virginem Aminadab. Virginis nomen significat Dominam, seu Principem. Nomen Aminadab Dominum seu Principem populi voluntarij, spontanei: nam non solum caput tribus Judæ fuit, sed etiam aliarum tribuum, sive quod fuisset in sua tribu nominatissimus, sive quod suis factis præcelluit. *Virginem Jacobus & Marcus in Liturg: vocant Dominam Sanctissimam. Chrysost: in Liturg: Dominam incontaminatam, super omnes benedictam & gloriosam. Ansel: alloq: coel: 26. Dominam magnam, Dominam bonam, Dominam mundi. Bern: in Salve: Dominam rerum. Domini est providere servis ad salutem. Ioan: Geom: hymn: 3. Est Virgo mundi visibilis Salus. Ephem: serm: in laud: B.V. Omnium Christianorum ad eam recurrentium est Virgo Salus. Ab illa adhuc in utero Ioannes accepit salutem. Et quia non tam per naturam, quam per gratiam est Domina, nobiliora verò sint gratiæ, quam naturæ opera, nobiliori*



nobiliori modo est Domina, & nobilius providet. Aminadab populi spontaneus seu liberi Dominus, populi ab Ægyptia servitute liberi, miraculis clari. *Arjla Polit. 4.* Potestas imperandi servis, nihil habet magni & præclari. Virgo ipsi Deo imperat. *Et erat subditus eis, Luc. 2.* Promeruit sibi Aminadab, ut esset Princeps maris rubri, & hoc tali facinore ut tradit *Lyra in Cant. 6. Dion: Carthus: ibid: Corn: in 4. Exech:* Cum Moyses rubrum mare aperuisset, cunctantibus cæteris, & montes aqueos hinc inde stantes metuentibus, ille primus post Moysen suas quadrigas impulit. Hinc dicit Sponsa *Cant: 6. Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab:* cum scilicet factum istud audax considero. Prima Virgo & principali modo rubrum mare transijt in quo spirituales Ægyptij sunt demersi. *Dion: Carthus: in 4. Cant: docet.* Quanto quis ad majorem beatitudinem est electus, tanto videtur amplius à Christo redemptus, & Christus pro eo passus: Virgo autem ad amplissimam beatitudinem electa, itaque juxta hunc Doctorem, amplius redempta: quia nimirum, ut pie credimus ab originali culpa præservata. *A Greg: Veneto in sua harmon: tom: 3. c. 2.* dicitur Primiceria Redemptionis. *Guillelm: Para in 24. Eccl. v. 21.* dum illud expendit. *Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris* ita discurrit. Vitis dum floret hanc virtutem habet, quòd solo odore suo aut expellit, aut extinguit bufones & serpentes. Ita & hæc Virgo SS. in sua intemerata Conceptione tantam redolevit per animum charismatum abundantiam & sanctimoniam, quòd in ea penitus fuit extinctum venenum serpentis antiqui, quod in cæteros homines quodammodò transfudit.

*Rabbi Saloman apud Genebrar: illa Cant: 7. explicans. Venter tuus sicut acerba tritici, vallatus liliis,* inducit Ecclesiam sic Sponsam suam alloquentem, Guttes sanguinis instar sinapis vidi, nec momordit eam serpens, neque scorpio pupugit illam. Quam eam? cujus uteri thalamum mundissimum Deus ingressus est, & lilijs vallatum invenio. Quadrigas Aminadab, quatuor virtutibus, quibus est subvecta Virgo imitatur, ut dixit *Geom: hymn: 1.* Prima est Patris omnipotentia, quia ut dixit *Alb. M. in Luc. 11.* fuit forma ad quam æterni Patris imago figuratur. Altera, Filij sapientia. *S. Anton: de Padua serm: Dom: 3. Quadr:* Ipsa est de palmis, Iesu, primus & principalis Palmes, præ cæteris citius, & altius in Dei amore fuit radicata, & veræ Viti, id est Filio suo, inseparabiliter se innexuit. Tertia, Charitas Spiritus S. Quarta, Potestas dominandi.